AD CARDINALITIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS II. MART. M. ANDREA LE GROS DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Aer Sanitatis & morborum autor?



T VIVIT homo moriturus, ita Sanitatis & morbi capax. Sua vtrique latitudo. Non æquè quemque aut Sanitas iuuat, aut morbus premit. Illa Status secundum Naturam actionem perficiens: hic affectus contra Naturam eandem lædens. Illa in partium laudabili temperie, aptâ conformatione, & debitâ vnione: hic in cuiuslibet horum iacturâ continetur. Vt mendax, qui semel mentitur; improbus, qui vel vno peccat: ita non sanus, qui vel temperie, vel conformatione, vel vnione aberrat. Bonum non nisi ex integra causa. Vna igitur Sanitas, triplex morbus. Vtriusque fouendi causa res similes; euertendi dissimiles; fouendi & euertendi quæ dicuntur non Naturales.



ARVM numero, cibus & potus, vigilia & somnus, exercitatio & quies, excreta & retenta, animi motus, & earum in fronte veluti præsultor ambiens aer; reliquis tantò insignior, quantò easdem subtilitate, præsentiâ, & necessitate superat: Quippe qui ita subtilis, vt cuncta permeet; ita præsens, vt nequeat vitari; ita necessarius, vt absque eo, nec vita produci, nec sanitas retineri, nec morbus auelli possit. Non animus sine anima, nec anima sine spiritu, nec spiritus sine aere conseruatur. Asserit igitur quis hominem longissimum tempus sine cibo & potu viuere? Transeat. Sine aere? Negamus.



T CIBVS solidæ, potus humidæ substantiæ damna resarcit: ita circunfusus aer calori natiuo & spiritui, tum conueniens pabulum, tum refrigerationem, tum fuliginosi excrementi quasi emissarium suppeditat; illis tantò ad immutanda corpora efficacior, quantò sæpius, celerius, validius, & nobiliorem illorum portionem subit. Is enim respiratione, primum quidem os, nares, cerebrum, asperam arteriam, pulmones, cor, omnésque arterias confertè implet: ex ijs dein in omne corpus perflabile quasi momento diffusus, quacunque vel substantiâ, vel qualitate præditus est, eâ ipsâ spiritus, humores, partium denique substantiam afficit: nec mirum. quippe cuius ab efficacia nec ipsa inanima lapis, lignum, metalla se vindicare possunt, quæ aliter sicco, aliter pluuioso cœlo affici notamus.



VAS etiam in Sobole (anni tempestatibus & ventis) vires aer manifestat. Ver enim, suâ si temperie constat, spiritus collustrat, probos humores creat, vitiosos propellit, sanitatem seruat, salubritatem parit. Æstas corpus immodico æstu fatigat, siccum, squalidum, siticulosum, rarum, fluxum, imbecille reddit, humores attenuat & accendit. Autumno inæquali minuitur in corpore sanguis, redundat atra bilis, densantur corpora, humores difflari prohibentur. Hyems corpora firmat, natiuum calorem auget, somnos producit, coctionem iuuat, nutritionem meliorem facit. In summâ cuiuis ætati Ver prodest, Autumnus obest, Æstas & Hyems prosunt & obsunt.



ORRO ventorum qui flat ab Arcto, corpora intrò reuocato calore vegetiora, maiora, robustiora reddit: vnde Sarmatæ, Getæ, Scytæ, Germani viribus præstantiores, mole ampliores. Auster Aquiloni situ & naturâ contrarius, contrarios sortitur effectus; robur deijcit, meatus reserat, calorem dissipat. Qui ab ortu prodit, eo etiam salubrior qui ab occasu. Idem de Regionibus statuendum, quæ non sibi, sed aeri temperiem acceptam ferunt. Ita aeris bona temperies, siue à regione, siue à situ, siue ab anni, siue à cœli statu hominis naturæ conueniat, eum fœlici beat & diuturnâ vitâ: si calidior, frigidior, humidior, aut siccior, morbos generat; & diu si perseuerat, senium mortemque præproperè accelerat.



Ergo Aer sanitatis & morborum autor.

Proponebat Lutetiæ IOANNES DOSSIER Constantinas Anno R. S. H. M. DC. XVII.